

Heinrich Valentin Becker

## De Primorvm Christianorvm More Edendi Agnvm Paschalem

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1776?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn877640432>

Druck Freier  Zugang



1776

DE

PRIMORVM CHRISTIANORVM MORE  
EDENDI AGNVM PASCHALEM  
DISSERIT

ET


MEMORIAM  
RESVRRECTIONIS IESV CHRISTI

EX SEPVLCHRO

PIE RECOLENDAM  
CIVES ACADEMICOS MONET  
RECTOR ACADEMIAE

HENRICVS VALENTINVS BECKER

PHIL. D. ET PROFESSOR ATQVE PASTOR IACOBÆVS.



ROSTOCHII  
LITTERIS ADLERIANIS.

EDMUNDI AGNYM PASCHELEM  
DISSERT

ET

MEMORIAM

RESURRECTIONIS IESU CHRISTI




EX SE  
HIE REC  
GIVES ACADEM  
RECTOR ACADEMIAE

RECTORIS VALENTINVS BECKER

PHIL. D. ET PROFESSOR ATQUE PASTOR PASCHELEM

ROSTOCKI

MDCCCXXXIII



D. G.



Cogitantibus vobis, CIVES HON. quam vehementer primi ex Iudaeis orti Christiani ritus Iudaeorum amauerint, et quantopere non hi soli, sed cum iis omnes reliqui ex gentibus nati, ut actiones seruatoris Iesu Christi imitentur elaborauerint, mirum videbitur, immo a veri similitudine alienum, Christianos primorum saeculorum diuinitus institutum et ab ipso seruatore obseruatum morem edendi agnum paschalem haud seruasse. Quibus curae cordique erat legem custodire Mosaicam, et qui necessitatem circumcisionis pro aris et focis defendebant, ritusque longe viliores a Iudaeis receptos perpetua obseruatione dignos iudicabant, eos agnum paschalem non curasse, nec vnquam animum eis fuisse, hoc more a maioribus tradito uti; ecquis hoc sibi persuadere potuerit? Et quis a se impetrare potuerit, ut credat, Christianos, quibus sancta erat memoria omnium Christi actionum, qui eas imitari suum ducebant, inter quos receptus erat mos pedes fratrum lauandi, Christum in edendo agno paschali haud imitatos esse? Nihilofecius omnes fere scriptores, antiquioris ecclesiae

A 2

nobis



nobis tradentes historiam, de esu agni paschalis Christianis sollempni altum tenent silentium, omnesque vno ore confitentur, coenae dominicae institutione epulationem paschalis agni prorsus esse abrogatam. In nostra tempora reseruatam fuit, vt vltcrius indageretur veritas: studio enim doctissimorum virorum haec res tantam in lucem posita est, vt nemo quidem amplius dubitare possit, quin mos edendi agnum paschalem per aliquot saecula inter omnes Christianos vigerit.

Haud opinor, CIVES HON. quemquam vestrum historiae ecclesiasticae adeo esse ignarum, vt notissimam illam de tempore celebrandi paschatos controuersiam, quam primi Christiani inter se habuerunt, ignoret. Orta est, vt inter omnes constet, haec disputatio medio saeculo II Christianos inter Asiam minorem vicinasque prouincias inhabitantes et reliquos in Asia atque Europa degentes Christianos. Illi pascha suum celebrabant decima quarta luna mensis Nisan, seu decimo quarto die post nouilunium mensis martii, quo die Iudaeis vt agnum paschalem comederent, lege praescriptum fuit; hi vero die dominico insequente plenilunium festiuitatem paschalem celebrabant. Equidem veri non habet similitudinem, apostolos Christi de paschatis aliisque diebus festis leges tulisse et caerimonias sanxisse. Lubentes potius SOCRATI calculum adicimus iudicanti: a) „apostolos et euangelistas hos dies colendos arbitrio „Chri-

a) *Histor. Eccl. L. V. Cap. 22. p. 282. edit. Vales. Mogunt 1677 impressae. Hoc iudicium Socratis, quum quondam laudaret Celeb. P. PIN: id multum molestiae ei adpersit. Ita scribit de Socrate Nouvelle Bibliothéque des Auteurs ecclesiast. Tom. II. p. 78. edit. Mont. 1691. „Son iugement paroît dans les reflexions et dans les remarques qu' il fait de temps en temps, qui sont fort iustes et fort desintéressées. On peut voir dans le chapitre 22. du 5. livre un exemple des recherches qu' il avoit faites touchant la discipline Ecclesiastique. Illy traite de la dispute sur le jour de la celebration de la Fête de Pâque, qui a tant causé de troubles dans l' Eglise, et remarque très-judicieusement qu' il n'y avoit point de sujet de disputer avec tant de chaleur sur une chose d' aussi peu de consequence. Qu' il n' estoit point nécessaire de suivre en cela les Iuifs etc.“ Iam sequitur iudicium Socratis*

»Christianorum reliquisse, — neque seruatorem neque aposto-  
 »los nobis, memoriam passionis celebrandam esse, lege aliqua  
 »praescripserunt, — scopum apostolorum fuisse, non ut de die-  
 »bus festis leges sancirent, sed ut rectae vitae ac pietatis auctori-  
 »res essent.« Nihilominus vtraque disputantium pars auctori-  
 tatem apostolorum sequi sibi videbatur. Asiatici gloriabantur  
 se regulam euangelii sequi, et ita docuisse Ioannem et Philip-  
 pum, pascha XIV luna mensis Nisan esse agendum. E con-  
 trario occidentales cum reliquis Petrum et Paulum apostolos  
 consuetudinem, quam illi tenebant, ipsis reliquisse affirmabant.  
 b) Neque tamen propter hoc discrimen Asiatici reliquos Chri-  
 stianos, neque hi illos haereseos aut erroris alicuius da-  
 mnarunt.

Primum autem hanc libertatem vellicare coepit PIVS  
 antistes Romanae ecclesiae, quem circa annum CXLVII flo-  
 ruisse opinantur. Hic enim lege fanciuit, c) ut pascha die do-  
 minica ab omnibus celebraretur. Equidem hanc PII constitu-  
 tionem Asiatici antistites parum curarunt, a semel recepta con-  
 suetudine nequaquam se dimoueri patientes. Attamen occa-  
 sionem

Socratis de he controuersia. Quae DU PINII sententia, ut et non-  
 nulla alia in libro suo doctissimo scripta, bilem archiepiscopi Parisien-  
 sis adeo mouerunt, ut ederet *Ordonnance de M<sup>gr</sup>. l' Archeueque de  
 Paris, portant condamnation d'un liure intitulé: Nouv. Bibl. des  
 Aut. Eccl. etc. par Maitre Elies du Pin.* In hac ordinatione liber  
 fuscis depingitur coloribus, damnatur atque prohibetur. Vrgentibus  
 circumstantiis DU PINIO necesse fuit palinodiam canere: quod fe-  
 cit in *Declaratione* sua. Suum de Socrate iudicium his verbis reuo-  
 cat: „Le n' ai pas eu raison de louer Socrate comme d' une remarque  
 judicieuse, de ce qu' il dit que la question du iour de la celebration  
 de la Paque étoit de peu de consequence, puisque l' Eglise en a fait  
 un point capital de discipline.“ Vtrumque scriptum insertum in-  
 uenit PFAFFII *Introductioni in Histor. Theol. Literar. Part. III.*  
 p. 259. seq.

- b) SOCRATES l. c. p. 285. EUSEBIUS *Hist. Eccl. L. V. cap. 24. p. 191*  
 edit Vales. Mogunt 1672. impress.  
 c) *Decret. eius Epist. I.*



tionem dedit POLYCARPO ecclesiae Smyrnenfis antiftiti circa annum CCX Romam veniendi, vt cum ANICETO epifcopo Romano hac de re ageret. Sed neque ANICETVS POLYCARPO, neque POLYCARPVS ANICETO fuam fententiam potuit perfuadere; neuter autem alterum condemnavit, immo in fignum amicitiae mutuae fraternique amoris ANICETVS cum POLYCARPO in coetu Christianorum publico ad facram fynaxin accessit. d) Interim ecclesiarum circa hanc rem diffenfio continuata eft, et fub M. AURELII ANTONINI imperio et SOTERIS Romano pontificatu Laodiceae magna controuerfia de follemnitate pafchali excitata eft, quae MELITONI epifcopo Sardenfi *duos libros de pafchate* elucubrandi occafionem dedit. e)

Longe maiores turbae fub exitum faeculi circa annum CXCVI COMMODO imperatore exortae funt, et magna animorum contentione inter POLYCRATEM antiftitem Ephesinum et VICTOREM epifcopum Romanum controuerfia fuit agitata. Hic enim in fynodo Romae habita fanciuit: Non licere iudaice celebrare luna decima quarta fanctum et myfticum pafcha, fed in fola magna et vitae donatrice dominica. Epifcopi in aliis fynodis congregati fuffragabantur VICTORI. Ita enim ftauerant Palaestina, Gallicana, Pontica, Ofröena, aliae fynodi. Quibus fuffragantibus VICTOR durioribus et imperitantibus litteris ecclefias minoris Asiae monuit, ne vltcrius in more fuo perfeuerarent, minitans, fe cum fuis eos fratrum loco non effe habiturum, nifi mori fuo renuntiarent et maximae orbis Christiani partis regulam fequerentur. POLYCRATES antiftes Ephesinus, confilio inito cum epifcopis Ephesi congregatis, litteras dedit ad VICTOREM, in quibus declarat: minoris Asiae ecclefias nolle a veteri confuetudine, a Ioanne, Philippo, Polycarpo, aliis obferuata recedere. Quae quidem refponfio tantopere exacerbauit VICTOREM, vt Afiaticos a communionem  
fua

d) EUSEBIUS *H. E. Lib. IV. c. 14. p. 127. L. V. c. 24. p. 193.*

e) EUSEB. I. c. *Lib. IV. c. 26. p. 146.*

sua excluderet, id est, fratrum nomine indignos pronuntiaret. f) Omnino displicuit haec imprudens ira reliquis ecclesiis: nec tantum exemplum VICTORIS sequi recusarunt, sed etiam pius IRENAEVS Lugdunensis in Gallia episcopus litteris ad VICTOREM datis aestum eius magnopere vituperavit. Licet cum ecclesiis occidentalibus sentiret, pascha die dominica celebrandum esse; noluit tamen a communione excludi dissentientes. Immo ad alias ecclesias litteras misit IRENAEVS eos dehortans, ne integras ecclesias morem sibi a maioribus traditum obseruantes, propter rituum quorundam diuersitatem a communione excluderent. Asiatici quoque longa epistola ad multas ecclesias missa, a deprauatae religionis suspicione se liberarunt. g)

Ita componebantur hi motus, et vtraque pars suam sententiam tuebatur, donec in prima oecumenica synodo tempore CONSTANTINI M. circa annum CCCXXV praesentibus CCCXI; aut referente SOCRATE h) qui testem Eusebium habet, CCCXXIII episcopis habita decretum fuit, vno eodemque die pascha ab omnibus esse celebrandum. Quod quidem decretum nemo maiorem in lucem posuit quam S. V. WALCHIVS theologus Göttingensis: i) luculenter ostendens eos vehementer errare, qui hoc decretum legis ecclesiasticae instar habent, et in canonum Nicaenorum numerum referunt. Ad hanc explicationem lectorem ablegamus, pauca tantum de argumento decreti Nicaeni addentes. Nil magis in votis erat CONSTANTINO imperatori, quam prouinciarum potestati suae subiectarum in paschate celebrando concordia. Equidem in

f) Ita Eusebii verba intelligenda esse, nec Victorem Asiaticos excommunicasse ostendit MOSEMIUS *Com de rebus Christ. ante Constantin.* M. p. 446.

g) EUSEB. *H. E. Lib. V. cap. 23. 24. p. 190. sqq.* HIERONYMUS *Catal. Script. Eccl. Tit. Irenaeus p. 299. Operum edit Basil. 1553.* SOCRATES *l. c. Lib. V. c. 22. p. 284*

h) *H. E. Lib. I. cap. 8. p. 23*

i) Vide *Decreti Nicaeni de paschate explicat. Commentariis Soc. Reg. Götting. Tom. I. p. 10. Commentationum insertam.*





concilio Arelatenſi anno CCCXIV ab epiſcopis occidentalibus qui conuenerant, lege ſancitum fuit, vt omnes (qui ſub imperio Conſtantini) vno die et tempore paſcha facerent. Quum autem imperator orientis prouincias ſibi ſubieciffet, quarum haud paucae alium paſcha celebrandi ſeruabant morem, ad diſſenſum tollendum Nicaenam conuocauit ſynodum, ob damnationem Arii percelebrem. Equidem cedebant orientales auctoritati imperatoris in eo, vt cum Romanis ſacrum paſchatis peragerent; ſed prudenter cauerant ne canonem conderent qui orbi Chriſtiano legis eccleſiaſticae inſtar eſſet. Nuntiant tamen pares Nicaeni in *epiſtola ſynodica* Aegyptiis: omnes in peragendo paſchate vna voluntate inter ſe conſentire, cunctosque qui in oriente eſſent fratres, qui antea cum Iudaeis paſcha celebraſſent, cum Romanis, Alexandrinis, reliquis in poſterum ſacrum paſchatis fore peracturos. k) Ipſe imperator CONSTANTINVS in *epiſtola* ad eccleſiarum antiſtites, qui in ſynodo Nicaena haud praefentes fuerant data, narrat: quum de ſanctiſſimo paſchae die quaefitum fuiſſet, communi omnium ſententia viſum eſſe, eam feſtiuitatem vno eodemque die ab omnibus vbique celebrari oportere. Quam quidem concordiam imperator abſentibus ampliffimis verbis et multis argumentis commendat. l)

Tandem in concilio Antiocheno an. CCCXLI congregato canonem ſanciuerunt epiſcopi: Omnes laicos, qui decretum ſanctae et magnae ſynodi Nicaenae de ſancto feſto ſalutiferi paſchatis diſſoluere auderent, et in ſua veteri ſententia decreto contraria perſeuerarent et permanerent, excommunicatos atque eccleſia eiectos eſſe. Si quis autem eorum, qui praefunt eccleſiae, ſiue epiſcopus, ſiue preſbyter, ſiue diaconus, poſt hoc decretum auderet ſeorſum agere et paſcha peragere

k) SOCRATES *H. E. Lib. I. cap. 9. p. 29.* THEODORETUS *hiſt. eccl. Lib. I. c. 9. p. 353.* collect. *hiſt. eccl. Euſ. Ruſſ. Soc. Theod. etc. Bay. 1587*

l) EUSEBIUS *de vita Conſtantini Lib. III. cap. 18 — 20. p. 492. ſqq.* *Hiſt. Eccl. — THEODORETI Hiſt. Eccl. L. I. cap. 20. p. m. 353.*

agere cum Iudaeis, eum sanctae synodi iudicio ab ecclesia esse alienum.

Argumentum decreti de paschate ex dictis satis superque apparet. Patres Nicaeni mandarunt 1) ut pascha ab omnibus vno eodemque tempore, vno eodemque die celebretur. 2) Ne eodem die, quo Iudaei faciunt pascha suum, perageretur. 3) Ut omnes prouinciae eum diem festum haberent, quem Romani, Alexandrini aliaeque tam orientis quam occidentis ecclesiae more a maioribus tradito celebrare consueuissent. Cui quidem decreto patres Nicaeni non formam dederunt legis ecclesiasticae, cuius auctoritate cogi possent dissentientes Christiani, alium sequentes morem, ut ab eo recederent: mitissimis potius verbis Nicaeni sententiam suam indicarunt. Verum Antiocheni eos poena afficiendos et ecclesia eiiciendos esse iudicarunt, qui decreto Nicaeno non audientes morem pascha cum Iudaeis celebrandi studiose retinerent.

Dicta pro scopo sufficient: si hoc vnum adiunxero, tantum abesse, ut in concordiam atque consensionem in celebrando paschate sacro Christiani hoc decreto adducti sint, ut non solum Audiani aliaeque orientis sectae paternum, quem ab apostolis sibi traditum esse aiebant, morem seruarent: sed et inter ipsos Christianos in eo contentientes, decretis Nicaenorum paschalibus morem esse gerendum, multae longaeque de mense et die celebrationis orirentur dissidiae atque disputationes. Eas ordine retulit et vberiore de decretis Nicaeni explanationem dedit S. R. WALCHIVS, cuius curam diligentiamque in hac re enodanda, nihil opus est pluribus verbis commemorare.

Omnes, qui inde a Nicaeni concilii temporibus hanc primae ecclesiae de die paschatos faciendi controuersiam memoriae prodiderunt, vno ore affirmant, de eo fuisse inter Christianos disputationem: vtrum dies, quo Iudaei pascha suam celebrant, laudis ut resurrectionis Iesu Christi memoria maneret, festus sit habendus; an vero dies ab hoc diuersus et quidem dominicus? seu: vtrum illo die, quo Iudaei pascha suam



suum agunt, memoriam resurrectionis Christi ex sepulcro renouare deceat Christianos; an vero alio ab hoc diuerso et quidem dominico die? Quos falli opinione sua primus notauit HEVMANNVS <sup>m)</sup> docens, celebrationem resurrectionis Christi non esse caput huius controuersiae. Equidem a me impetrare haud possum, vt HEVMANNO in omnibus adsentiar. Persuasum enim sibi habet vir doctissimus, Christianos Asiaticos memoriam mortis Christi singulis annis singulari pietate celebrasse, et iudaico paschati pascha Christianum tanquam typo antitypum substituisse; Europaeas autem ecclesias alium festum diem, reditus scilicet Christi in vitam instituisse et ex ignorantia *pascha* appellasse, non alium autem nisi dominicum, quo Christus resurrexerat, diem agitasse; Asiaticos eundem quoque diem dominicum pia et sollempni resurrectionis Christi commemoratione transegisse: totam ideo controuersiam fuisse *λογομαχίαν*, quippe disceptatum fuisse, vtrum dies mortis, an vero dies resurrectionis Christi festus *pascha* sit appellandus, indeque ortam esse distinctionem *πάσχα σωρώσιμον* inter et *πάσχα ἀναστάσιμον*. Quae quidem HEVMANNI adserta mox a nobis dicenda refutabunt. Gloria tamen viro post fata celeberrimo denegari nequit, eum aliis facem praetulisse, ansamque viris doctis materiam penitus scrutandi praebuisse. Haud multo ante Iesuita magnae existimationis GABRIEL DANIEL scriptum de Quartadecimanis ediderat, in quo docet, non de die memoriali resurrectionis, sed mortis Iesu Christi inter Christianos antiquioris ecclesiae fuisse disputationem. Quum mihi haud contigit esse adeo felici, vt ipse librum inspicerem; ex MOSHEMIO <sup>n)</sup> et WALCHIO <sup>o)</sup> audiant lectores, quodnam lumen ille hanc controuersiam meditantibus attulerit.

DANIELIS

<sup>m)</sup> Vide eius *veram descriptionem priscae contentionis inter Romanos et Asiam de vero Paschate*, in *Noua syllog. Dissertat. P. I. p. 156. sqq.*

<sup>n)</sup> *De rebus Christ. ante Const.* p. 439.

<sup>o)</sup> *Historie der Kezereien T. I. pag. 668. 672.*

DANIELIS quidem vestigia sequutus, praecipua vero laude dignus est immortalis MOSHEMIVS, p) qui, vt solet, obscura luce clariora facit. Nec de die mortis Iesu Christi, nec de die resurrectionis eiusque celebratione controuersiam fuisse primis Christianis, quum de paschate disputarent; sed de tempore edendi agnum paschalem, vir acutissimus adeo certum facit quam quod certissimum. Haec coena, quam omnes Christiani, licet non ex eadem causa qua Iudaei, sed in memoriam mortis Christi antitypi agni paschalis, ac in memoriam institutionis sacrae, quam vocant, coenae comederunt, *pascha* vocabatur. Disputantibus itaque minime de tempore celebrandi memoriam mortis atque resurrectionis seruatoris nostri palmaria fuit quaestio, sed de tempore vescendi epulis agni paschalis. Huic MOSHEMII sententiae s. R. WALCHIVS q) et cel. SCHROECKH r) accesserunt, controuersiam de paschate simili ratione explicantes. Et vt verum fatear, huius hypotheseos, immo huius rei, cuius sufficientia sunt testimonia, quando ratio habetur; omnes de paschate controuersiae ita explanantur, vt nihil in iis non appareat.

Nimirum, omnes antiquioris ecclesiae Christiani memoriam tam mortis quam resurrectionis Christi pie ac sancte celebrarunt. In die, quo morte sua seruator peccata expiauit hominum, omnino non dissentiebant: lunam enim XIV mensis Nisan, seu decimam quartam lunam post nouilunium mensis Martii non secus ac Asiatici, omnes reliqui Christiani pro sacro et sollempni habebant. Equidem EPIPHANIO s) teste nonnulli Quartadecimanorum spuris *Pilati actis* fidem habentes, in eam opinionem adducti erant, Christum die VIII calendarum Aprilis, hoc est XXV mensis Martii, quem quotannis

p) *l. c. Saec. II. §. LXXI. LXXII. p. 435. sqq.*

q) *Histor. der Kez. T. I. p. 666. sqq.*

r) *Christl. Kirchengeschichte III. Th. p. 50. sqq. 237. sqq.*

s) *Haeres. L. contra Tessara escaedec. p. 157. interpretur. Iani Cornarii Bas. 1528.*



nis agitabant, in crucem actum esse: et hi de die mortis Christi cum reliquis haud conueniebant. Sic etiam ex SOCRATE \*) cognoscimus, non omnes, qui die dominico pascha agebant, ferias mortis atque resurrectionis Christi eodem mense celebrasse: ita ut alii obseruantiam aequinoctii cum Iudaeis recentioribus negligenter, alii auctoritatem vetustiorum Iudaeorum et Iosephi sequentes pascha non recte fieri opinarentur, nisi sole in arietem constituto, semper post aequinoctium mense Aprili festiuitatem celebrantes. Verum enim vero numerus dissentientium adeo erat exiguus, ut non sine iusta causa dici possit, omnes Christianos in eo consensisse, lunam XIV Nisan tanquam diem mortis Christi festam esse habendam. Nec sola haec dies, sed etiam tota hebdomas, quam magnam et sanctam appellabant, festa habebatur, omnesque cibo se abstinebant usque ad diem, quo de resurrectione Christi ex mortuis laetabantur. Sic etiam apud omnes tam orientis quam occidentis Christianos fuisse reperimus, (quod quidem satis superque probatum dabimus) eos in memoriam mortis Iesu Christi agnum paschalem comedisse: utebantur quoque hoc instituto tam ad imitationem exempli Christi, quam in memoriam sacrae coenae finitis his epulis ordinatae. De eo autem orta est inter Christianos dissensio, quo tempore agnum paschalem comedere deceat? Christiani in minori Asia degentes conuiuium die XIV mensis Nisan agebant, eodem die, quo Iudaei pascha suam celebrabant, et quo sanctissimum seruatorem simul cum Iudaeis agnum edisse ipsis persuasum erat, Ita a Ioanne et Philippo apostolis traditum esse defendebant. His epulis itaque interrompebantur ieiunia, ad quae continuanda finito conuiuio redibant, usque ad tempus, quo resurrectionis sacrae capiebant initium. E contrario maxima Christianorum pars omnem per hebdomadem religiose tenebat ieiunia, et hanc ob causam epulas paschales usque ad vesperam ante diem dominicum differebat. Ita se a Petro et Paulo accepisse asseriebant. Asiaticis, quos Quartadecimanos vocarunt,

\*) H. E. Lib. V, cap. 22, p. 284.

runt, ut eundem diem edendi agnum paschalem communiter eligerent, eo lubentius persuadere voluerunt reliqui Christiani, partim, quia nefas habebant ieiunia epulis soluere; partim, quoniam indignum existimabant simul cum Iudaeis pascha facere; partim, quia minus decorum illis videbatur, nonnullos Christianos eo tempore laetos epulis vesci, quo omnes reliqui abstinentia, precibus, luctibusque morientis renouabant seruatoris memoriam. Et haec est inelyta illa de paschate disputatio Polycarpum inter et Anicetum, Polycratem et Victorem, Christianos minoris Asiae et reliquos vsque ad tempora synodi Nicaenae agitata: agnum enim paschalem tam quam ipsam coenam *πάσχα* vocabant.

Prorsus tamen inficias ire nequeo, de die quoque, quo memoria resurrectionis Iesu Christi celebrari debeat, inter Christianos ortam fuisse dissensionem. Etenim orientales die post mortis tertio, seu tertio die post XIV lunam mensis Nisan de resurrectione Christi gaudebant. Ieiunia hoc die finiebantur, nemo amplius in genua procumbebat, et omnes vultus prae se ferebant laetitiam. Quum autem luna XIV mensis Nisan non quotannis triduo ante dominicum diem, id est *Veneris*, veniret: haud in singulis annis die dominico resurgens renouabant seruatoris memoriam: immo, antequam excurreret hebdomas ob mortem redemptoris sacra, ieiunia interdum finiebantur. Romani autem cum reliquis (neglecto triduo post diem mortis) nullo alio nisi dominico die, quo ipse Christus resuscitatus est, et qui in prima ecclesiae aetate per omnem annum memoriae resurrectionis fuit destinatus, hanc sollemnem resurrectionis memoriam celebrandam ieiuniaque paschalia finienda esse pro aris et focus defendebant. u) Ex qui-

u) EUSEBIUS *hist. eccl. Lib. V. cap. 23. p. 190.* Synodi ob id (ita narrat disputationem saeculi II de tempore celebrandi paschatos et finiendi ieiunii) coetusque episcoporum conuenere. Atque omnes uno consensu ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradiderunt, *ὡς ἂν μὴ δὲν ἄλλη ποτὲ τῆς κυριακῆς ἡμέρα τὸ τῆς*



quibus apparet, quomodo tam decreto concilii Nicaeni, ut orientales non amplius cum Iudaeis, sed omnes Christiani vno eodemque die festiuitatem paschalem celebrarent; quam lege synodi Antiochenae constitutum sit, vnum eundemque diem dominicum, memoriae reditus Christi in vitam destinatum, omnibus esse obeundum. Nam qui in eo reliquis cedebant, ut coena paschali non amplius cum Iudaeis luna XIV mensis Nisan vterentur, ut ne ieiunia magnae hebdomadis interrumpere, illi nec amplius recusarunt finita hebdomade diem dominicum tanquam resurrectionis diem festum habere. Quare finita de tempore edendi agni paschalis disputatione, controuersia de die resurrectionis Christi pie ac sollempniter obeundo finiebatur.

Ut plenius vos, CIVES HON. conuincam, moris fuisse omnibus antiquioris aetatis Christianis, ut agnum paschalem comederent; atque per celebrem de tempore pascharos faciendi controuersiam non esse aliam, nisi de tempore agno hoc vescendi: palmaria adferam argumenta, quibus haec res luce clarior euadet. *Primo*: Nulla omnino suppeditari potest ratio, quae commouere potuerit Christianos Asiae minoris, ut tam constantes fuerint in seruando more a maioribus, ut aiebant, tradito, memoriam resurrectionis Christi luna XIV mensis Nisan, qua Iudaei pascha faciebant, celebrandi: quum neminem eorum fugeret, sanctissimum seruatorem hoc die non e mortuis viuum rediisse. Immo, hoc die tam orientales quam occidentales lugebant, v) ac mortis expiatoriae memores peccata sua deplorabant. Num quis facile ad credendum induci

*ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως ἐπιτελεῖτο τὸ τῆς κυρίας μυστήριον.*  
*ne videlicet ullo alio quam dominico die mysterium resurrectionis Domini vquam celebraretur: utque eo duntaxat die paschalium ieiuniorum terminum obseruamus.*

v) Ita EPIPHANIUS: Coeterum sancta Dei ecclesia a veritate non excidit. Vtitur enim non solum decima quarta, sed etiam septima etc. Quapropter obseruamus quidem decimam quartam, transgredimur autem aequinoctium et facimus in sanctum dominicum finem complementi.  
 Haeres. L. p. 138.

induci potuerit, Asiaticos vno eodemque die memoriam mortis atque resurrectionis Christi simul sollempniter celebrasse? — Quando vero ob tempus edendi agnum paschalem dissociati fuere animi Christianorum: vtrique parti haud defuerunt rationes in sententia sua manendi. Asiatici coena paschali cum Iudaeis, nimirum luna XIV mensis Nisan vescebantur, ad imitationem ipsius Christi, qui, pro illorum iudicio, hoc die coena usus fuerat; Romani autem cum reliquis vespera ante diem dominicum memoriae resurrectionis sacrum, ne ieiunia his epulis dissoluerentur: et minime mirandum est, vtrosque non conuenisse.

*Secundo*: Ipsa vis atque potestas vocis *πάσχα* quemvis docet, eam resurrectionem Christi minime denotare. Vox Chaldaica *ܡܫܦܫܐ*, quae Hebraeis *חֹמֶס* dicitur, *transitum* denotat et ita appellabatur festiuitas maetationis et comestionis agni, cuius sanguine Israelitae postes domuum tinxerunt: quia angelus Aegyptios percutiens domus sanguine asperfas transfiliit, Exod. XII, 27. Verum ita quoque agnus appellabatur, quem in huius liberationis memoriam Iudaei maetarunt, Exod. XII, 22. 2 Paralip. XXXV, II. 13. Idem vox *πάσχα* denotat, tam festos dies, quos seruauit Aegyptiaca et pestilentia liberati Iudaei in memoriam huius rei variis cultibus et actibus religiosis, maetatione praesertim atque comestione agni obierunt; Luc. XXII, 1. quam ipsum agnum immolandum, Luc. XXII, 7. et coenam paschalem, Luc. XXII, 13. Inscitiae sequentis temporis tribuendum est, vocabulum *πάσχα* de resurrectione Christi sumtum esse. Quam quidem ignorantiam et falsam dictionis *pascha facere* interpretationem S. R. ERNESTI nuperrime notauit. w) Equidem non est inficiandum.

w) *Inuitatione ad sollempnia disputat. publicae.* Quod scriptum quum ad nos non peruenerit ex *Nouellis Gotthae* editis pl. 6. anni 1776. cognoui. Pace autem auctoris nouellarum vt dicam; reu. ERNESTI non cepisse mentem ipse mihi videtur: namque haud mihi possum persuadere theologum illum Lipsiensem ea scripsisse quae auctor ei tribuit. *Er zeigt es*, inquit





ciandum, iam ante Nicaeni concilii tempora potestatem huius vocis nonnunquam mutatam et diem passionis ac mortis Iesu Christi *pascha* appellatum fuisse. Verum enim vero ne vlllo quidem documento probari potest, diem resurrectionis Christi tunc temporis ita fuisse nominatum. Prorsus persuasum mihi habeo, notam illam distinctionem *πάσχα τρυφώσιμον* inter et *πάσχα ἀναστάσιμον* inuentum esse recentioris aetatis: et nullum restem me habere ingenue profiteor, ante Nicaenam synodum de duobus paschatibus sermonem fuisse. Sin autem ante haec tempora duorum paschatum fuisset mentio: nihil indicari potuisset, quam duplex conuiuium festiuum. Nonnulli enim orientis Christiani die mortis; reliqui die resurrectionis Christi epulas agni habebant festiuas. Verum successu temporis, nullo habito conuiuii respectu, dies festi eorumque celebratio *paschata* appellati sunt, et in primis diem resurrectionis Christi e mortuis *pascha* vocarunt. Quem loquendi morem nonnulli ex ignorantia, alii ex incuria, alii necessitate semel inter omnes recepti vsus loquendi coacti sequuti sunt, ferias resurrectionis Christi *πάσχα* appellant, et de die celebrandae memoriae huius praecleari beneficii inter Christianos fuisse dissensionem, omnes vno ore affirmantes.

*Nouo*

quit, kürzlich, worinn der Irthum besteht, nemlich daß die Feyer des Osterfestes mit den Iuden zugleich, gar nicht aus Haß gegen das Iudenthum, sondern weil die ersten Christen zugleich am Ostertage, wie die Iuden, ein Lamm gegessen, und dadurch die gewöhnliche Fasten vor Ostern unterbrochen, von dem Concilio verboten worden etc. Memoriam resurrectionis nunquam cum Iudaeis die XIV. Nisan celebrarunt Christiani: hic omnibus fuit memoriae mortis Christi dies. Agnum paschalem omnes quidem comederunt; sed non omnes die resurrectionis Christi. Sic olim apud Romanos et cum illis sentientes fuisse constat; Asiatici autem ab illis dissentiebant. Et hi soli epulis paschalibus soluebant ieiunia. Nocte enim ante dominicum seu resurrectionis diem ieiunia erant finita, nec amplius coena paschali interrupta dici possunt. — Mihi quidem verisimile est, auctorem nouellarum fugituo oculo scriptum laudatum legisse, neque satis distinxisse quando S. R. ERNESTI vocibus *paschatos* et *resurrectionis Christi* vsus fuerit, vtrisque *Ostern* vertens.

Nouo sententiae nostrae indicio sunt dictiones, *pascha cum Iudaeis facere*, ἐορτάζειν σὺν τοῖς Ἰουδαίοις. De hac re Quartadecimanis reliquos exprobrasse Christianos ex historia controuersiae patet. Testis sit SOZOMENVS, x) qui, quum narrauerat, Sabbatium docuisse ἄμα τοῖς Ἰουδαίοις τὴν τὴν πάσχα ἐορτὴν ἐπιτελεῖν, simul cum Iudaeis festum paschae diem celebrandum esse, de Quartadecimanis addit: αἱ δὲ οἱ (τεσσαρακαθεκατῆται) μὲν ἐν αὐτῇ τῇ τεσσαρεσκαθεκαταία σὺν τοῖς Ἰουδαίοις ἐορτάζουσιν, ὁ δὲν ἄδε ὀνομαζονται. Verum hi quidem quartadecima die simul cum Iudaeis festiuitatem celebrant, unde etiam hanc appellationem sortiti sunt. Simili modo SOCRATES y) loquitur: συνεορτάζειν Ἰουδαίοις, Ἰουδαίους ἐπεθεῖται περὶ τῆς ἐορτῆς. Quis, quaeso, verbis tribui potest sensus, qui non veritati contradicat, nisi concesseris de esu agni paschalis esse sermonem? Pone, verba ἐορτάζειν σὺν Ἰουδαίοις pascha cum Iudaeis facere; aut vt Victor, referente EUSEBIO, loquitur, Iudaice celebrare mysticum pascha, de eo esse interpretanda, quod nonnulli Christiani eodem die, quo Iudaei pascha suam faciunt, memoriam resurrectionis Christi celebrauerint: vnicuique quorundam, quum vnquam Christianorum die mortis Christi, quo Iudaei agnum edebant, memoriam seruatoris e mortuis resurgentis celebrauerit? Quum hoc adferri nequit: quid ergo sibi volunt verba ἐορτάζειν σὺν τοῖς Ἰουδαίοις? Equidem sollemnitates paschales Iudaeorum per octiduum continuabantur, et hanc ob causam dies memoriae resurrectionis Christi sanctus et festi Iudaeorum dies tandem in vnum conueniebant. Hoc autem quum singulis annis contingeret, nec ab occidentalibus posset euitari, orientalibus non fuit opprobrio.

Vt liberalis sim in concedendo: finge, ἐορτάζειν σὺν Ἰουδαίοις indicare; eodem die, quo Iudaei pascha peragunt, mor-

x) Hist. Eccl. L. VII. cap. 18. p. 733. edit Vales.

y) H. E. Lib. V. cap. 22. pag. 284.



ris seruatoris habere memoriam. Quod, quaeso, vitium, quodnam delictum? quum Christus hoc die animam amisit, et Iudaei longe alia ex causa ac Christiani conueniebant. Taceo omnes ac singulos fere Christianos hunc diem festum habuisse, et quod his magna fuit gloria illis haud fuisse opprobrio. Itaque nemo inficiari potest, de comestione agni paschalis verba esse interpretanda. Qui eundem agnum cum Iudaeis, eodem tempore quo illi, licet alia ex causa, sollempni et religioso conuiuio comedebant, illi festiuitatem habebant cum Iudaeis, atque sanctum pascha Iudaice celebrabant.

Magnam haec res lucem adfert effato Paulino, I Cor. V, 6--8. ad quod explicandum verba mirum in modum distorquent interpretes, vndique difficultatibus circumdati: \*) quum tamen omnia clara sint atque perspicua, simulac vocabulum ἐσθάζειν non cum LUTHERO *Ostern halten* verteris, sed epulas cogitaueris Christianorum paschales. Ου καλον τὸ κάουχημα υμῶν· ἔκ οἶδατε, ὅτι μικρὰ ζύμη ἔλον τὸ Φύραμα ζυμοί; ἐκκαθαράτε ἂν τὴν παλαιὰν ζύμη, ἵνα ἦτε νέον Φύραμα, καθὼς ἐστὶ ἀζυμοί· καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐστὶν, χριστός. Ὡς ἐσθάζομεν, μὴ ἐν ζύμη παλαιᾷ, μηδὲ ἐν ζύμη κακίᾳ καὶ πονηρίᾳ, ἀλλ' ἐν ἀζύμοις εὐδικρινείᾳ καὶ ἀληθείᾳ. aa) Breuem dabo verborum periphrafin, qua omnes difficultates sponte sua corruent: „Haud magnam gloriam estis consequuti. Num ignoratis paullum fermenti totam massam fermentare; vnusque impii

- \*) Testes habeo WOLFII curas philol. ad h. l. Bibliothecam Anglic. Tom. V. POLI Synopsis ad h. l.
- aa) Vulgarem seruauit lectionem, licet a nonnullis criticis, MILLIO praefertim, in dubium vocatam. Negatiuam particulam initialem omitunt: loco ζυμοί ponunt φθίρει vel θηλει aut δολοί: et verba ὑπὲρ ἡμῶν in versione vulgata deficientia, omittenda esse ducunt. Vid. MILLIUS in prolegom. p. 455. sqq. BENNELI apparat. crit. ad h. l.

impii hominis exemplo totum coetum pollui atque corrumpi? Quapropter purgate vos ab hoc veteri fermento, homine illo impio et incestuoso, ut nouum fiat fermentum, quemadmodum hoc tempore <sup>b)</sup> in coena paschali pane infermentato utimini. Noster enim agnus paschalis pro nobis mactatus, in cuius memoriam agnum edimus, est Christus. Festiuitatem itaque hanc ita celebretis, quemadmodum eam celebrare decet eos, pro quibus Christus est mortuus. Vetere fermento uti iam illicitum est: azymo est vescendum. Proinde celebretis festiuitatem ita, ut in coetu vestro haud amplius sit vetus fermentum, nec in corde vestro fermentum prauitatis atque malitiae: vbi que sit azymus sinceritatis veritatisque.“

*Alia accedit hisce rationibus, quibus probatum dedimus, controuerſiam de paschate non esse nisi de coena paschali. Romani et cum iis sentientes vitio vertebant Quartadecimanis, horum paschate ieiunia interrumpi. <sup>c)</sup> Nullo itaque negotio pascha ferias resurrectionis Christi indicare potest. Namque die memoriali resurrectionis omne ieiunium omnisque luctus prorsus cessarunt; haud amplius in genua procubuerunt Christiani; ieiunia ~~omnino~~ <sup>omninoque</sup> ~~dedimus~~ <sup>dedimus</sup> ~~documenta~~ <sup>documenta</sup> ~~de~~ <sup>de</sup> ~~signa~~ <sup>signa</sup> gaudii atque laetitiae. Verum enim vero ieiunia paschate interrumpiebantur, quum Quartadecimani epulis agni ieiunia dissoluerent, quae quidem, finita coena, per triduum de integro continuabant, vsque ad diem memoriae resurrectionis sacrum abstinentes.*

*Porro: Quartadecimani assiduis reliquorum persuasionebus haud eo perducti, ut quidquam de consuetudine semel recepta mutarent, se non solum instituta maiorum sed ipsum euan-*

<sup>b)</sup> Scripsit apostolus litteras circa paschatos tempora. Vid DU PIN *dissert. preliminaire sur la Bible* Liv II. p. 48.

<sup>c)</sup> Vid. EUSEBIUS *hist. eccles. Lib. V. cap. 23. p. 190* et *Epistola Constantini in THEODORETI hist. eccl. Lib. I. cap. 10. p. 353*



euangelium sequi gloriabantur. dd) In euangelio autem ne iora quidem de sollempni memoriae resurrectionis Christi, celebratione inuenies. Verum enim vero historia euangelica narrat, seruatorem agnum paschalem ante mortem edisse, atque simul cum Iudaeis luna XIV mensis Nisan coena paschali usum fuisse: quod quidem Quartadecimani affirmabant, nec, ut opinor, reliqui negabant, quia controuersia de die, quo Christus coena paschali usus sit, recentioris est aetatis. Σανδ, πασχα primorum Christianorum aliud esse nequit ac πάσχα, quod ipse Christus celebravit, coena nimirum paschalis.

Adde, reliquos Christianos Asiaticis gloriam obedientiae erga euangelium omnino non denegasse; verum Christianis seruatorem imitantibus haud necesse putasse, ut dies et menses, quibus Christus aliquid fecerit, sedulo seruarent. Si singula, inquit, accurate obseruare instituerunt, non dies solum et mensis ab illis obseruandi sunt, sed et caetera omnia, quae Christus sub lege constitutus Iudaeorum more gessit. — εἰς ἀνώγειν οἰκημα τὸ πάσχα εὐτρεπεθῆναι ἐκελευσε quum in coenaculo pascha parari praeciperet, — τὸν βατράζοντα κεραιμὸν ὕδατος σημεῖον εἶλη τὸς εἰς τὸ πάσχα σπεδάξτι quum qui hydriam portabat signi loco proponeret iis, qui pascha parare studebant: et quaecunque alia eius generis in euangelio perscripta sunt. Et tamen — nemo in coenaculum ascendens illic pascha celebravit — nec ullus unquam alteri inuinxit,

dd) Praesertim POLYCRATES in epistola ad Victorem ad euangelium et scripturam s. prouocat. Philippum apostolum cum filiabus, Ioannem et Polycarpum, Thraseam et Sagotim, Papirium atque Melitonem allegans, addit: οὗτοι πάντες εἰτήησαν τὴν ἡμέραν τῆς τετρακαιδεκάτης τῶ πάσχα κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, μηδὲν παρεβάνοντες, ἀλλὰ κατὰ τὸν κανόνα τῆς πίστεως ἀκολούθητες. Hi omnes diem paschae quarta decima luna iuxta euangelium obseruauerunt: nihil omnino variantes, sed regulam fidei constantiter sequentes, EUSEBIUS l. c. Lib. V. cap. 24. p. 191.

*iunxit, ut vas fictile aqua plenum gestaret, quo figuræ adimplerentur. cc)* Quiuis, tacente me, perspicit, non de memoria resurrectionis Christi, sed de historia Luc. XXII. 7. sqq. esse sermonem.

Tandem ut omnia dicam, agni, eius separationis a grege atque mactationis, vespertini temporis, epularum expressa apud scriptores fide dignos fit mentio, qui pascha primorum Christianorum memoriae prodiderunt. EPIPHANIVS ff) testis sit, qui, licet eius obscuritatem ipse MOSHEMIVS dolear, satis tamen clare de eo loquitur, quod scopo nostro conuenit. Ita de Quartadecimanis: gg) *Primum enim, si pascha die XIV celebrant, necesse est, ut agnum iam die decimo adducant atque ad diem decimum quartum (viuum) custodiant. Quodsi ad vespem pascha fuerit immolatum, quod XIV die illucescente geritur, sex dies ieiunio tribuendi sunt. Sic autem de reliquis: Ecclesia sancta Dei — non solum decimum quartum diem, sed et hebdomada obseruat — ut ad eorum exemplar, quæ sunt a Domino gesta, resurrectio epulaeque celebrentur. — In sanctam dominicam religiosissimi temporis finem conuicimus, sed agnum iam tum a decimo die sumimus.*

Nihil amplius addam: iam ipsi lectores iudicent.

Ne quis autem vestrum, CIVES HONORAT. leue putet atque minoris momenti, vtrum *πασχα* Christianorum quatuor priorum saeculorum celebratio memoriae resurrectionis Christi; an vero manducatio agni paschalis fuerit: et de qua materia illi inter se disputauerint. Peruersa decreti Nicaeni interpretatio vsque ad hodiernum diem innumeras excitauit turbas atque dissensiones, quæ omnes potuissent euitari, si animadu-

cc) SOCRATIS H. E. Lib. V. cap. 22 p. 290.

ff) Haeres L. contra Tessaerescaecatitas

gg) Vt in versione Moshemiana, p. 44 l. c. quum interpretatio Cornarii, quæ mihi ad manus est, ipso textu est obscurior.



nersum esset, de coena paschali Nicaenis fuisse sermonem. Vereor, ne terminos huius scripti excedam, si turbas prima ab origine repetam, omniaque, quae notari merentur, adferam. Tribus tantum, ut aiunt, verbis eorum faciam mentionem, quae luculenter ostendunt, materiam, quam sumsi, vestra attentione haud indignam esse.

Decretum concilii Nicaeni, *ut ne simul cum Iudaeis pascha celebretur, et ut semper die dominico illud agatur*, non ita multo post sic interpretatum est; haud decere Christianos, eo die, quo Iudaei pascha faciunt, sollemnem resurrectionis Christi memoriam renouare; neque in memoriam huius praeclari beneficii alium diem nisi dominicum esse obeundum. Immo multa a multis, DIONYSIO praesertim *exiguo*, qui saeculo VI floruit, decreto addita sunt atque adfecta, quae patribus ne in mentem quidem venerant, saltim de quibus siletur. Ut reliqua taceam, pro certo habebant, secundum synodi praeceptum, diem illum dominicum in memoriam resurgentis seruatoris festum esse habendum, qui insequeretur plenilunium post aequinoctium vernum, quod quidem semper diei XXI martii fuit adfixum; quando autem ipse dominicus foret dies plenilunii, post octo dies festiuitatem esse celebrandam: quum tamen hae regulae vel iam ante concilii tempora in vsu fuerint Christianorum, vel post illa ab iis receptae. Equidem ab ipso CONSTANTINO episcopo Alexandrino demandatum fuit, ut cursum solis lunaeque obseruaret, diem paschalem quaereret, atque episcopum Romanum de eo certiolem faceret, ut ex eius litteris omnes Christiani diem festum habendum cognoscerent. Verum enimvero quiuis, tacente me, perspicit, prouincias Roma distantes hunc diem serius comperisse, eumque, quum iam praeteriit, adhuc ignorasse. Praeterea Alexandrini plenilunium nouiluniumque alio modo ac Romani computabant, alio vtentes cyclo. Vnde crebrae Romanos inter  
atque

atque Alexandrinos ortae sunt dissensiones, et haud raro diuersis diebus Christi resurgentis agebant memoriam.

Saeculo VI DIONYSIVS *exiguus* cyclum XIX annorum (vulgo cyclum Dionysii, rectius Metonis appellatum, hic enim inuenerat post seriem XIX annorum nouilunia et plenilunia eodem die redenire) adeo commendauit, vt Romani non solum, sed et plurimi Christianorum hanc computationem eligerent. Christiani utebantur hoc cyclo, reliquum ephemerides sequuti, quae a IULIO CAESARE nomen Iulianarum habent. Verum enimvero calculus cyclicus tam, quam annus Iulianus minus fuere accurati, et circa annum MDLXXII ephemerides decem diebus a vero solis cursu distabant. Quod quidem mouit GREGORIVM XIII pontificem Romanum, vt alios elaborare faceret fastos, qui nomen Gregorianorum ducunt. In hisce fastis, decem diebus omis- sis, primum octobris vndecimus insequitur, et ita aequinoctium ad XXI martii retrocedebat: loco anni Iuliani Alphonsinus <sup>h)</sup> substitutus est: vitia cycli Dionysiani ope epactarum <sup>i)</sup> emendantur: praeterea singulis centenis annis XXIV; quarto autem saeculo XXV dies adduntur intercalares. In prouinciis religioni Romano-pontificiae addictis ephemerides Gregorianae libentissime accipiebantur: protestantes autem principes, regulam antistitis Romani sequi recusantes in vsu fastorum Iulianorum perseuerabant, et ex eo tempore pontificiorum atque protestantium feriae resurrectionis Christi decem diebus inter se distabant. Ne quis tamen opinetur, odium erga pontificios causam fuisse, vt Lutherani cum reformatis fastos Gregorianos reiicerent. Manifestum est in hisce fastis multa vitia deprehendi, et diem resurrectionis Christi secundum regulam, scilicet Nicaenorum haud exacte posse definiri, nisi ad

h) 365 dierum, 5 horarum, 49 minutorum primorum, 16 minut. secundorum.

i) differentia annorum mensiumque solarium atque lunarium.





ad motum solis lunaeque magis adtenderetur: magna autem erat difficultas tali ratione fastos emendare Iulianos.

Tandem in fine recedentis saeculi principes protestantes in eo inter se conueniebant, vt initio huius saeculi noui fasti, qui *emendati* vocantur, et quos STVRMIO Altorfino, HAMBERGERO Ienensi et MAYERO Ratisbonensi debemus, in prouincias potestati ipsorum subiectas inducerentur. Quum necesse esset, XI. dies omittere: anno MDCC octodecimum februarii primus martii insequeretur. Constitutum quoque fuit, plenilunium non ope cyclorum atque epactarum; sed secundum tabulas KEPLERI astronomicas, quas Rudolphinas vocant, esse quaerendum. Praeterea principes protestantes Ratisbonae MDCXCIX sanciuerunt, die solis proxime insequente plenilunium post aequinoctium vernum sacra resurrectionis habenda esse initia: sin autem plenilunium incurreret in dominicum diem, in sequentem septimanam ferias esse differendas.

Non omnes principes protestantes hoc concluso corporis euangelicorum contenti fuerunt. In Anglia, Suecia, Dania et quibusdam Heluetiae prouinciis ephemerides Iulianae retinebantur: quemadmodum terrae graecae religioni addictae eas non mutarunt. Tribus ergo ephemeridibus utebantur Christiani; Iulianis, Gregorianis et emendatis. Quae fastorum differentia caussa fuit, vt feriae resurrectionis et ab iis dependentes festi dies tribus diuersis temporibus nonnunquam a Christianis celebrarentur. Equidem fasti emendati plerumque cum Gregorianis consentiunt, et vnus idemque dies resurrectionis Christi in vtrisque nominatur, licet plenilunii tempus in illis calculo astronomico aliud inueniatur, ac in his computatione cyclica: quod quidem feriarum resurrectionis non facit diuersitatem, nisi plenilunium sit paulo ante dominicum diem. Namque si ex gr. plenilunium in fastis Gregorianis inuenires die Veneris, illud autem secundum calculum astronomicum die Iouis esset: omnes diem insequentem dominicum obirent. Ast vero, si plenilunium computatione Gregoriana in diem solis, aut Satur-

ni tempore vespertino incurreret; et calculo astronomico die Veneris, aut Saturni horis matutinis: vtique diuersitas oriretur. Pontificiis secundum regulam semel receptam incumbere ferias resurrectionis Christi per octiduum differre, vt ne simul cum Iudaeis diem obirent: sed protestantibus hoc non necesse foret, quippe proximum dominicum agitantes decreto concilii Nicaeni agerent conformiter. Talis differentia Gregorianos inter et emendatos fastos hoc saeculo iam tribus vicibus accidit; anno MDCC, quo euangelici non sine iusta causa normam ephemeridum Gregorianarum sequuti sunt; anno MDCCXXIV, quo euangelici diem IX aprilis, et pontificii diem XVI obierunt; et anno MDCCXLIV, quo illi diem XXIX martii, hi autem diem V aprilis celebrarunt. Quae diuersitas non minores motus, turbas atque dissensiones in terris, vbi euangelici cum pontificiis habitant, suscitauit, ac olim oriebantur, quum euangelici fastos Iulianos sequerentur. Nonnulli principes pontificiae religioni addicti subditos euangelicos, vt ferias resurrectionis simul cum illis secunda vice obirent, vi coegerunt: e contrario rex Borussiae incolis Cliviae pontificiis imposuit, vt diem euangelicis festum agitarent. Taceo perturbationes in diebus festis a feriis resurrectionis dependentibus, in nundinis aliisque negotiis, quorum dies atque tempora fasti indicant.

Iam instat annus MDCCLXXVIII, quo die Saturni hora IX vespertina; et annus MDCCXCVIII, quo hora XI vespertina plenilunium post aequinoctium vernum erit. Quum dies Iudaeorum non, vt nostri, media nocte, sed hora VI vespertina initium capiunt: pascha Iudaicum die dominico erit. Proinde euangelicis incumbet, vt post octo dies de resurrectione seruatoris laetentur, et ita consentient cum pontificiis. Verum enimvero, celeb. KAESTNERVS *kk*) monuit, pascha Iudaeo-

*kk*) *Beantwortung einiger Fragen wegen des Osterfestes, 1771. In deutschen Schrift, der Königl. Soc. der Wiss. v. B.*



Iudaeorum calculo astronomico haud tuto posse cognosci, quippe non computatione astronomica sed cyclica vtuntur, quando diem paschatos praefiniunt: ad ritus moresque eorum attendendum esse tempus, quo pascha faciant, cognituro. Quare consilium dedit vir doctissimus, ferias resurrectionis nunquam differendi, nisi ipse dominicus sit dies plenilunii. Quiuis KAESTNERO accedet, secum reputans, annum Iudaeorum non esse solarem sed lunarem, et computationem eorum tontopere ab astronomica recedere, vt nunquam diebus lunae, Mercurii aut Veneris pascha faciant: quod quidem haud posset euitare, si calculum astronomicum sequerentur. Interim, concluso corporis euangelicorum, Ratisbonae d. XXX ian. MDCCXXIII dato, iam constiturum fuit, annis MDCCLXXVIII et MDCCXCVIII non die dominico plenilunium insequente; sed post octo dies, resurrectionis Christi memoriam esse celebrandam. 11) Cui sententiae inhæserunt principes euangelici, et concluso d. XVI aug. MDCCLXXV Ratisbonae publicato sanciuerunt, vt decreto concilii Nicaeni satisfiat, anno MDCCLXXVIII primum dierum memoriae resurrectionis sacrorum, non die XI; sed XIX aprilis ab omnibus euangelicis esse obeundum. m m)

Ita

11) Haec sunt verba conclusi: *Da sich dann auch begeben werde, daß Anno 1778 und 1798. der Ostertag des verbesserten Kalenders mit dem Ostern der Iuden auf einen Tag, welches jedoch das Concilium Nicaenum sorgfältig vermieden wissen wollen, eintreffen werde. Als ist nach allen dabey vorgekommenen und reiflich erwogenen Umständen von evangelischen Corporis wegen einmützig vor gut befunden und beschloßen worden: daß — 4) wenn nach erfolgter genauer Erkundigung der Iudenostern sich befände, daß selbige mit der Ostern des verbesserten Kalenders auf einen Tag einfiehlen, wie zum Exempel Anno 1778 und 1798 sich begeben solle, und wenn inzwischen keine andere richtigere, als die bisber gebrauchte Tabulae Rudolphinae ausgefunden, und von dem Corpore Euang. approbiret würden, das Osterfest in solchen Fällen, um die Intention des Concilii Nicaeni hierin beyzubehalten, 8 Tage weiter hinausetzen sollen. etc. Vid. G. PROFE historisch-mathematische Nachricht von der Osterzeit Alton. 1744. P. 54.*

m m) Conclusum inuenis in actis histor. eccl. nostri temporis XII. Th. p. 486.

Ita per tot saecula orbis Christianus decreto concilii Nicaeni morem gessit, quum tamen patribus ne in mentem quidem venerit cauendi, vt ne memoriam resurrectionis Christi eo die, quo Iudaei epulas habent paschales, renouemus. Peruersa interpretatio decreti Nicaenorum, et ignorantia dictionis, *pascha facere*, omnes operas omnesque molestias inueniendi diem, qui non concurrat cum Iudaico paschate, fecit. Iam diu immortalis BERNOULLI multique mathematici; et nuperrime S. R. ERNESTI consilium dederunt, vt principes ecclesiarum protestantium diem quendam dominicum vernalem definiant, quo semper memoria resurrectionis Christi renouaretur, et vnde totus annus ecclesiasticus ordinaretur. Forsan instat tempus, quo principes hoc consilium audiant. Namque ante aliquot septimanas principes Augustanae confessioni addicti CAESAREAE MAIESTATI sponte sua declararunt, se in posterum diem memoriae resurrectionis Christi sacrum aliosque dies festos vna cum pontificiis esse celebraturos. <sup>nn)</sup> Spero fore, vt hac facta declaratione, omnes principes Christiani, ad

<sup>nn)</sup> *Gotha'sche gel. Zeit.* 18. St. den 2. März 1776. Ob gratiam nouitatis digna est relatio quae describatur. Regensburg. Unter dem 29 Jenner dieses Jahrs ist ein Reichsgutachten an S. M. dem Kayser ergangen, worinn die Stände A. C. sich erklären, daß sie aus freyen Willen und besonders zum besten des Handels und Wandels, auch zu Abwendung aller, besonders in Landen, welche der Religion nach gemischt sind, zu besorgenden Mißverständnissen und Unordnungen, doch unter dem ausdrücklichen Vorbehalte und feyerlicher Verwahrung allerseitiger Landesherrlicher Hoheitsrechte in geist- und weltlichen Dingen, dem von ihnen sogenannten bey den Katholischen eingeführten neuen Kalender, unter dem Namen eines allgemeinen Reichskalenders beytreten, mithin nach dessen Anleitung die Auferstehung des Heilandes und andere davon abhängende bewegliche Feste iederzeit halten, auch forthin mit den Katholischen zugleich feyern und begehen wollten; wobey jedoch die Bestimmung anderer, in einigen Provinzen, Landen oder Städten etwa besonders zu feyern den Feste, und die Benennung der Tage, jedes Orts Behörde vorbehalten bleibet, und den Landesherrlichen Rechten hierunter nichts benommen ist.



ad seruandum ordinem ac concordiam, in definiendo hoc die aliquando vniantur atque consentiant. Ita omnes disputationes de tempore celebrandi paschatos, omnesque inde prouenientes turbæ atque molestiæ prorsus cessabunt.


Vos autem, CIVES HON. sitis solliciti, vt dies festos iam instantes pie ac sancte obeatis. Laudetis IESVM, qui sua resurrectione ex sepulcro manifestauit, se esse CHRISTVM, DEI filium, generis humani redemptorem. De vestra futura resurrectione gaudeatis, et memores sitis, Christianorum esse, illi viuere, qui pro illis mortuus et e mortuis est suscitatus.

T A N T V M.



P. P.

S V B S I G I L L O A C A D E M I C O,  
F E R I A I R E S V R R E C T I O N I S C H R I S T I,  
M D C C L X X V I.



ni tempore vespertino incurreret; et calculo astronomico die Veneris, aut Saturni horis matutinis: utique diuersitas oriretur. Pontificiis secundum regulam semel receptam incumbere ferias resurrectionis Christi per octiduum differre, vt ne simul cum Iudaeis diem obirent: sed protestantibus hoc non necesse foret, quippe proximum dominicum agitantes decreto concilii Nicaeni agerent conformiter. Talis differentia Gregorianos inter et emendatos fastos hoc saeculo iam tribus vicibus accidit; anno MDCC, quo euangelici non sine iusta causa normam ephemeridum Gregorianarum sequuti sunt; anno MDCCXXIV, quo euangelici diem IX aprilis, et pontificii diem XVI obierunt; et anno MDCCXLIV, quo illi diem XXIX martii, hi autem diem V aprilis celebrarunt. Quae diuersitas non minores motus, turbas atque dissensiones in terris, vbi euangelici cum pontificiis habitant, suscitauit, ac olim oriebantur, quum euangelici fastos Iulianos sequerentur. Nonnulli principes pontificiae religioni addicti subditos euangelicos, vt ferias resurrectionis simul cum illis secunda vice obirent, vi coegerunt: e contrario rex Borussiae incolis Cliviae pontificiis imposuit, vt diem euangelicis festum agerent. Taceo perturbationes in diebus festis a feriis resurrectionis dependentibus, in nundinis aliisque negotiis, quorum dies atque tempora fasti indicant.

Iam instat annus MDCCLXXVIII, quo die Saturni hora IX vespertina; et annus MDCCXCVIII, quo hora XI vespertina plenilunium post aequinoctium vernum erit. Quum dies Iudaeorum non, vt nostri, media nocte, sed hora VI vespertina initium capiunt: pascha Iudaicum die dominico erit. Proinde euangelicis incumbet, vt post octo dies de resurrectione seruatoris laetentur, et ita consentient cum pontificiis. Verum enimvero, celeb. KAESTNERVS k k) monuit, pascha Iudaeo-

k k) *Beantwortung einiger Fragen wegen des Osterfestes, 1771. In deutschen Schrift, der Königl. Soc. der Wiss. v. B.*

D

